Illustris vir, et Domine perpetim colende,

Heri magna felicitatis meæ pars mihi innotuit, indicio domini cognati A. Vorstii: quam summis votis antehac expetivi segnius. In tanti viri memoria versari, voluptas fuit; quum id poëma mihi exhibitum testaretur abundè: at favorem ibidem et benignum in me animum deprehendere, spem omnem superavit. Neque immeritò: siquidem tenuitatis meæ, mihi sum conscius; ut in aliqua amicitiæ parte haberi apud te, vir Nobilissime, tuique similes, vitam mihi beatam reddat. Accedit nexus quidam, quo cognatus meus D. de Willem, nos communi affinitate consociat: proinde gratissimum mihi accidit, quod in illius gratiam, mei memor esse, vir Amplissime, volueris. Neque in amicorum tuorum numerum receptus, alium me præstare annitar, quam illustrem tuam familiam deceat. Aliud restat, quod in præsentiarum negligere minimè æquum est: utpote quod litem inter D. Vorstium et D. Buxhornium ortam, et sopiendam, concernat. Posterior literas ad A. tuam super ea scriptas prælegit; prior de adventu tuo mihi retulit: adeoque vereor ne crastino die, coram, hoc malum refricetur, si iterum in scenam, aliqua ipsius commemoratione producatur. Ideoque istas à D. Buxhornio datas literas alto silentio supprimi, pervelim; ne cognatus Vorstius ad earum notitiam perveniat. Idemque cum D. Golio hodie perfeci apud utrumque, ut animi denuò coiverint: et quidem hac ratione et modo, ne ulla inter ipsos, vel cum aliis, istius unquam fiat mentio. Vale vir nobilissime, et inter tuos clientes recipere digneris eum, qui magni beneficii loco habebit, si audire queat

N. et Amplitudinis tuæ cliens
humillimus C. L. Empereur

Lugd. Bat. 3. Id. Mai.
à partu salutis 1645.

Viro Illustri Constantino Hugenio,
Equiti, Celsissimo Arausionensium
Principi à consiliis, etc.

Hagam.

© British Library
Add MS 23102, f. 120
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3912